



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CLIX. Ioannis Papae VIII. Ad Athanasivm Episcopvm Neapolitanvm.  
Vt sibi indicet locum, vbi simul possint de communis patriae salute  
colloqui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CLVIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD DAFERIUM COMITEM.

Consolatur Daferium eique opem pollicetur.

*Dilecto filio illustri nobili viro Daferio comiti.*

**P**ERFECTIONEM cordis Gaideris principis consanguinei vestri, vestramque in Deum valde gaudemus, obsecrantes, ut qui cœpit in vobis operetur, atque perficiat opus bonum vsque in finem. Tribulationibus, atque angustiis vestris in tantum compatimur, ut vestros dolores manu cogitationis in nostro corde tangamus: sed confidimus in æterni conditoris misericordia, quia in proximo aderit eius auxilium, qui per prophetam admonet dicens:

*Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me:* nos etenim in tantum paratos habetis in vestrum adiutorium, ut cum opportunum tempus fuerit, pro fratribus animam ponere non recusemus. Equum quem nobilitas vestra petiit, cum vestros fines attigero, dare me vobis libenter denuntio. Data ut supra.

## EPISTOLA CLIX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATHANASIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Ut sibi indicet locum, vbi simul possint de communis patriæ salute colloqui.

*Reuerendissimo & sanctissimo dilectoque confratri, & consiliario nostro Athanasio episcopo sanctæ Neapolitanæ ecclesiæ.*

**S**CIENTES vos procul dubio fideles in omnibus, atque deuotos esse sanctæ sedi apostolicæ, nostræque paternitati totis præcordiis nostris fraternitatem vestram oppido diligimus & amamus: quamobrem pro multiplicibus instantis temporis necessitatibus, atque communibus utilitatibus vobis cum speciali præsentia loqui cupimus: quatenus vestro consilio, communique tractatu ea quæ necessario sunt consideranda, perspicaciterque tractanda, salubriter, Domino annuente, ordinare, statuereque pos-

simus. Quoniam nostræ ac vestræ terræ salutem, totius videlicet populi precioso Christi cruore redempti, pastorali dumtaxat more desideramus perficere, & idcirco, ut pertinax inimicorum comprimatur audacia, vobiscum pariter cupimus conuenire. Quapropter volumus, ut locum etiam nostræ colloctioni, quem aptum esse cognoscetis, nostro præsulatui, vestris sub celeritate significetis apicibus. Quia nos, Deo propitio, illuc sine mora properare, & vna vobiscum alacriter loqui non prætermitemus. Data ut supra.

## EPISTOLA CLX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD CAROLVM REGEM.

Hortatur ut legatos mittat, & in auxilium ecclesiæ Romanæ veniat.

*Carolo regi.*

REGALIS excellentiæ vestræ literas recipientes, atque relegendes, ut in eo, quod antea nostro præsulatui direxistis, vestro videlicet amore, dilectioneque maneremus, non solum, ut iam olim retulimus, verum etiam magis ac magis nostræ voluntatis affectum ad vestræ exultationis cumulum ampliari magnopere cupimus, atque in omnibus ceu carissimum filium vos retinere procul dubio satagemus. Tantum ut quo celerius, sicut mandastis, vestros idoneos legatos ad nos dirigere potestis, aliquatenus non prætermittatis; cum quibus sane & exaltationem sanctæ sedis apostolicæ, & istius terræ salutem, vestrumque honorem\* profligare, considerareq; firmissime valeamus. Et ideo vestræ magnitudinis gloriam exhortamur, ut præcingentes quasi vir lumbos tuos, & potentiæ Dei brachio aduersus inimicos potentissime roborati, iam ipsi venire non dubitetis; quoniam si tantæ calamitatis pressuram, quam sancta Romana mater vestra ecclesia, & ipsius terra quotidie ab inimicis patitur, cognouissetis, nobiscum utique pariter doleretis. Quapropter fili carissime, antequam inimicorum insidiæ plus accrescentes præualeant, nostram deuotionem, atque consilium pio intuitu attendere nullo modo desinatis, sed more parentum ve-

Y iij

\* forte inuerti-  
gate.